



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.5. S. Nicasij martyrium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

Quid igitur aliud superest, nisi ut flagellum Dei, tamquam filij à patre suscipiamus? ut, dum nos punit, sanet. Id ergo agamus, ut ipsa mors presens non supplicium nobis fiat, sed remedium. Ita & D. Paulus scribit, multos indignè communicantes corpori Domini morte punitos. Ideò, inquit, inter vos multi imbecilles & dormiunt multi: quos ante mortem Deo reconciliatos fuisse idem Apostolus non tacuit, addidit enim: A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Nec dubitandum est, nos per Christum satisfacere posse adhuc, patienti toleratione flagellorum à Deo commissorum. Si agnoscamus, nos ea meruisse, si ea libentes perferamus; & praesertim ab Attila tamquam Christianis illata, Christi nomine amplectamur; si deniq; instantius oremus pro inimicis nostris, salutem illis optantes tamquam amicis. Ita & pro peccatis nostris faciemus, & martyrij coronam reportabimus.

His, atque alijs talibus dictis adiecit S. Nicasius, se quoque, tamquam pastorem, pro ouili suo paratum esse ad mortem optendam. Aderat & germana soror eius Eutropia, quæ & ipsa, expansis ad cælum manibus, plebem, quantis maximis poterat & verbis, & viribus hortabatur, tum ad

1. Cor. 11.
30.

Vide
Concil.
Trident.
sess 14. de
pœnit.
Sacram.
cap 9.

V.
S. NICA-
SII MAR-
TYRIUM.

pœnitentiam, tum ad martyrij coronam non negligendam. Dum hæc frater & ſoror ad populum inflammandum differunt, ecce hoſtis muros ſuperat, & repente furibundus paganorum impetus, infeſto agmine irruit, horriſono vlulatu, quali victores vti ſolent, inſultatione pleno. Nicaſius igitur, comite ſorore ſacros hymnos, & cantica ſpiritualia pſallens, ad oſtium baſilicæ S. Genitricis Dei Mariæ, quam in arcem ſedis fundauerat, eis occurrit obuiam; moxq; vt ferratas acies aſpexit, ante templi fores, circumfuſas, manu ſilentium petens, hæc dixit: *O nutibus diuinis miſtra fortitudo, quare contra humana conditionis modum victoriam veſtra dignitatis in rabiem conuertitis? Nam veri iuris titulus quondam nobilium bellatorum inſcriptus erat:*

Virgil. l. 6
Æneid.

*Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.
Et ecce plebs Chriſtiana de ſe humilis, & deuota, veſtris in conſpectibus proſtrata, remiſſionem peccatorum uſq; ad mortem obediens expectat: pœnitementi & vos pro ſceleribus veſtris Deum verum agnoſcentes: ne forte indignatio eius, qua per vos alijs fit ad correptionem ſalutis, vobis fiat ſtipendium æterna damnationis. Quod ſi oues meas, perſeuerante impietate, quaeritis.*

ritus

ritis, trucidate me primum, & pro ipsis victimam divina maiestati libate, ut pariter caelesti beatitudine digni mereamur inueniri: His dictis: cum in oratione prostratus hunc versiculum Episcopus decantaret: Adhaesit pavimento anima mea, continuo ictu gladiatoris sequente, capite truncato, verbum sanctitatis ab ore decollati non destitit, sed immortalitatis sententiam, quam petijt adimplendo impetrauit: dicens, *uiuifica me secundum verbum tuum.* Sic cecidit hostia Deo grata.

Psal. 118.

VI.

Fratre occiso, soror Eutropia, velut Christiana aliqua astitit Camilla, atque è tota multitudine, sideris cuiusdam instar emicuit. Cuius heroicum pectus, & virginei oris gratia, ipsum barbarorum impetum stitit; oculosq; rapuit, celesse quiddam in humana forma admirantium. Sensit prudens virgo, quod res erat, nempe impiam crudelitatem circa se mitigatam; speciemque suam litibus paganorum reseruatam. Quia igitur maluit immanitatem, quam libidinem barbarorum pati, consilium in arena cepit, ad fratris sui interfectorem conuersa, sibi abblandientem imperterrita voce, *Hem, inquebat, tyranne crudelis, magnum Dei virum indignis manibus ingulasti, & me*

S EUTROPIAE ET CIVIVM CRVDELIS MORS,

M 3

tibi